

Excidium vere horribile

Abbatiae Sti Maximini prope Treviros,
conscriptum ab oculari teste Alexandro Henn.
ejusdem coenobii Religioso et postae Abbate.

(Continuatio. Cfr. An. V. tom. I. pg. 209—215.)

Nec tamen qualemcumque quietem regressus vix orto sole miles inturbavit. Dum enim ad decimum Maji, octavae Ascensionis dominicae sacrum diem, templum ingressi scissis quidem non vestibus, sed cordibus inter lacrymas et singultus sancta emundare aggredierentur RR. Patres, quo allatis ex urbe paramentis suis ecclesiae patronis ultimum vale peracto missae sacrificio dicerent: ecce denuo adest pridianus ex urbe miles cursuque rapido notam caveam repetit; cujus clamoroso acciti strepitu cum impetum qua precibus qua promissis sistere niterentur religiosi patres, plerique obscenis exhibitati dicerijs, non pauci sclopetis aliisque instrumentis per gradus deturbati, aliis dilaceratae vestes, unus etiam aliquis sacerdos verberibus indignissime est tractatus; omnes tandem ebriosis furiis cedendum rati ad templum, unde digressi, se recipiunt, Deo sacrificium missae litaturi. Reliquis ad coeleste hoc Domini sacrificium rite decenterque obeundum ex urbe allatis, praeter aquam et vinum, haec enim etiamnum in monasterio haberi posse existimabatur, mittuntur ex religiosis patribus, qui et illam ex puteis hauriant et istud ex cavea, ubi aliqua adhuc plaustra asservabantur, apportent. Sed puteos jam omnes saxis, trabibus sordibusque oppletos reperiunt; ad cellam vero, cyclopeis istis bionibus inessam, ubi ventum est vinumque pro sacrificio postulatam, cachinnari primo mero bibuli hi Torquati; cum instaretur, etiam indignari; cum nec sic abiretur, intentatis sclopetis ab ingressa arcere proculque repellere ac vinum propria e cavea penitus denegare; qua effronte Gallorum impudentia effectum est, ut pro tremendo sacrificio vinum et aquam aliunde accersere fuerit necessum. . . .

Non aegre feres, candide lector, si amicam hoc loco tibi vim faciam, ac non ingrato, ut sperare nos jubet tua humanitas, diverticulo a coepto paulisper narrationis filo ad contemplandam ecclesiae quondam celeberrimae fabricam inspiciendamque quasi per transennam loci sanctitatem veluti de via suaviter abducam; ne vero longiori ambage circumducam, illud de monasterio hic universim dixisse sufficiat, eam Maximiniani hujus vetustate ac religione eximii coenobii fuisse magnificentiam, qua veteres palatii Constantiniani substructiones non obscure argueret et quae facile persuaderet, non rudi illo Francorum et degenerare, ut loquitur Trevirorum Annalium conditor Browerus, sed ad Romani nominis splendorem florentissimo saeculo aedificatum; eam vero ampli-

tudinem ut ter mille et quadringentos circiter in orbiculato circuitu (qui totus restagnante altius fossa cingebatur) geometricos colligeret pedes; eum denique ingentium aedificiorum tum numerum tum splendorem, ut mole sua vastitateque longius porrecta non unius asceterii, sed oppidi integri speciem contemplantibus obijceret. Regalis basilica attollebat se geminis ad templi propyleum exquisitissimo artificio elaboratis parique sublimitate in altum eductis turribus, ex quibus grandius aes campanum solemnioribus festis populum harmoniaco concentu ad divina invitabat. minoribus campanis per dies minus celebres ex turricula ad latus chori sinistrum versus claustrum adjecta concrepantibus. Ubi vestibulum subieras, porrigebatur illa in longitudinem per 283, in latitudinem tendebatur geminis ad latera explicatis alis per 88, assurgebat in altitudinem ad fornices usque per 64, ab his ad summitatem tecti per 52 pedes geometricos augescebat. Haec vero tanta moles intra laterales muros 14 immensis, navim inter et templi alas aeternaturo opere utrimque erectis, octogona forma columnis ea elegantia architectonicaque partium symmetria succollabatur, quae septuaginta annorum (tot vasto operi condendo perpoliendoque impensi sunt anni) non dedeceret tempus, immo usque adeo expensas commendaret, ut ad nobilissimae hujus, peregrinorum quotannis undique voti religionisque causa affluentium concursu celeberrimae, structurae casum non orbis modo Trevirico-germanus ingemuerit, verum etiam ipsi Gallorum primores hujus architectonices miraculi excidium praeter gentis indolem lamentarentur.¹⁾

Jam vero loci sanctitatem religionemque pronissimo affectu venerari, quam impolito calamo adumbrare proclivius. Iis certe Maximiniana basilica, dum staret, incedebat sanctitatis ornamentis, iis efferebatur religionis titulis, ut nulla eis Alpes ecclesia ei posset ex jure anteferri; nam sive laureatorum martyrum innumeros coetus sive praestantium pontificum confessione vitaeque innocentia clarum agmen, sive prodigiorum et miraculorum frequentiam, quibus octodecim illa templi altaria, parietes, cryptae, humus ipsa exaggerata consurgebat, inspicias: harum rerum omnium tanta hic dignitas, magnificentia tanta elucescebat, ut ferme nescias, quo jam ultra possit progredi. Et vel ad primum templi ingressum ultro se adventantium oculis insinuabant sc. duo ecclesiae Treviricae praesules, Basinus et Weomadus.²⁾ Uterque spretis

¹⁾ Kirche und Kloster St. Maximin waren nach der durch Markgraf Albrecht von Brandenburg-Kulmbach erlittenen Zerstörung im J. 1522 neu erbaut worden. Abt Reiner Bierer aus Trier (1581—1610) vollendete die Kirche, welche als die prachvollste und schönste im ganzen Erzstifte geschildert wird. Unter Abt Peter von Freudenburg (1619—1623) wurde dieselbe am 29. August 1621 in Gegenwart des päpstlichen Legaten Albergati consecrirt.

²⁾ Basinus und Weomadus waren beide Aebte in St. Maximin und nahmen später den bischöflichen Stuhl von Trier ein, Basinus in den J. 671 bis 691 und Weomadus in den J. 753—795.

hujus vitae illecebris religiosum ad S. Maximini cucullum induit, uterque morum innocentia ac insigni animi demissione illustravit, utrumque Deus Apt. Max., ne tanta virtus unius monasterii quantumvis augusti clauderetur angustiis, ad Trevirici Archiepiscopatus culmen evocavit; utrique demum ad summam vitae integritatem ac illibatae sanctimoniae laudem divi dignitate, certissimo ecclesiae judicio, post mortem cohonestati; sacra pignora, magnificis duabus purpureo holoserico obductis argentoque vermiculatis capsulis inclusa, sub odaeo majori ad dextram quidem Basini, ad laevam S. Weomadi in Basilica Maximiniana erant deposita.

Ab his sanctorum Pontificum typanis ubi ad dexterum chori latus passus aliquot promovisset reclusa laterali versus S. Martini aram porta, offerebat sese amplissimus e secto lapide sarcophagus, reliquiarum S. Quiriaci presbyteri tumulus.¹⁾ Cujus ego innocentissimi viri nostraeque patriae Thaumaturgi celeberrimi laudes hic nequaquam praeterirem, nisi quotidiana ad huncusque diem in persanandis praesertim epilepticis miracula angelici viri apud Deum merita clarissime quaqueversum eloquerentur. . . Venerare mecum, amice lector, magnum hunc S. Maximini quondam sacellanium atque adversus epilepsiae vitium patronum Quiriacum, affectuque ad pietatem composito dic animo, dic ore: ProDIglosVs epIlepti-CorVM patronVs honoratVr.

Tum flexo reverenter poplite spatiosum illum Maximinianum chorum post inspectas ad dextrum latus SS. Pauli et Martini aras mecum subintra, ubi, lustratis cursim elegantissimis illis arte sculptoria elaboratis centum ferme psallentium religiosorum exedris insolitum hac tempestate celsissimae humilitatis monumentum in regia imperatoriaque virgine attentius cum stupore perlege: Est ea insignis pudicitiae religionisque fama perquam nobilis Ada,²⁾ Pipini regis filia, soror Caroli Magni, quae, regnatricis augustissimaeque domus opulentiam incalescentesque majorum imagines prae virginitatis studio Christique pauperis amore aspernata, quemadmodum viva D. Maximini fortunas datis assignatisque circa Vangionum, Nemetum, Moguntiacensiumque urbes fundis majorem in modum auxit, ita moriens in perpetuam castissimi affectus

¹⁾ Ueber den hl. Quiriakus siehe der hl. Maximinus und der hl. Paulinus von Ph. Diel, S. 47 und folg. Der Maximiner Mönch Joh. Scheckmann in der Schrift: De Ecclesia imperialis monasterii S. Maximini p. 54 schreibt über ihn: ad dexterum chori latus cernitur tumba, in qua sepultus fuit sanctus Quiriacus, S. Maximini Sacellanus et discipulus, abhinc Tabenam (Taben an der Saar) translatus aliquibus reliquiis in eadem tumba relictis. Diese Uebertragung nach Taben, welches eine der Abtei incorporirte Pfarrei war, geschah unter Abt Wigger (958—966). Das Grab des Heiligen daselbst ist ein bis heute sehr besuchter Wallfahrtsort.

²⁾ Vergleiche Marx, Gesch. des Erzstiftes Trier III. 55.

tesseram virgineum suum corpusculum monasterio huic perquam gratiose legavit, idque non Augusto regum mausoleo recondi, sed angusti tumuli sinu claudi voluit, perbrevis hac candido marmori insculpta epigraphe: »Ada, ancilla Christi, soror Caroli Magni« — humile in speciem, sed revera excellentissimum regiae filiae imperatoriaeque sororis elogium . . . Tu, si sapis lector, humilia cum regia hac virgine sectare, ac ubi positam in edito loco aram majorem sanctique Andreae altare ad latus chori sinistrum inspexeris, per plusculos gradus in hypogea mecum descende atque in iis ceu coeli atriis longam coelitum cohortem aethereosque proceres non jam singulatim sed turmatim obvios pio devotionis affectu venerare. In laureata hac sanctorum legione chorum ducit Arianorum ille terror Trevirorumque amor, ille Maximinus, a quo nomen patrociniūque accepit de quo loquimur monasterium, ille inquam acerrimus clientum suorum vindex Maximinus, cujus nemo nunquam familiam sine praesenti exitio persecutus est, cujus ad utrumque latus in eodem S. Maximini crypta accumbunt duo sanctissimi praesules, Agritius et Nicetius.¹⁾ Hos veluti quidam centuriones ac primipilares subsequuntur ductore S. Bonifacio²⁾ trecenti e Thebaea legione fortissimi pugiles, invictissimi Christi martyres, quos uti idem supplicii genus communi martyrii laurea decoravit, ita et veneranda eorundem ossa communem in hypoges S. Mauritii, ad quod per intermediam Salvatoris nostri amplissimam cryptam per plures gradus descenditur, adepta sunt sepulturam, capita vero in Athanasionas immissa latebras, mirum, quantum inferioribus B. V. Mariae hypogaei religionem majestatemque adaugent. Manipulares hujus gloriosissimae victricisque legionis ne requiras; hos enim sine numero suppeditant tum ipsi cryptarum parietes ac sacro etiamnum sanguine calens terra, tum tres illi ad S. Apolloniae aram grandiores sarcophagi, qui triumphabundo Trevirorum martyrum in sanguinaria Rictiovari laniena per immensam barbariem trucidatorum agmine foeti ac beati Trevirorum pro christiana religione constantiam praecone quovis potentius eloquuntur. . . .

Quid ego jam post hanc sanctorum victricem legionem hic memorem multiplicem illam sacri instrumenti ac beatorum pignorum gazam et synthesin, aliunde a S. Helena aliisque orbis

¹⁾ Der hl. Agritius war Bischof von Trier von 313 bis 332, der hl. Nicetius von 527 bis 566.

²⁾ Im J. 286 wurden unter Kaiser Maximilianus Herkuleanus zwei Cohorten der thebaischen Legion in Trier um des christlichen Glaubens willen hingerichtet. Bonifacius mit seiner Cohorte fand seine Grabstätte in St. Maximin und Thyrsus mit den Seinigen in der St. Paulinus-Kirche.

christiani Monarchis importatam? Cuctellum¹⁾ Christi Jesu divinis manibus consecratum atque in ultima coena dividendo agno illi typico adhibitum? quid grandiculas s. crucis, lanceae, purpurei et albi vestimenti, spongiae, columnae, sudarii dominici particulas! quid de gloriosissimae virginis peplo, pectine, capillis? quid denique de omnium fere apostolorum, nominatissimorum confessorum, martyrum et virginum sacratis lypsanis spectabilibusque omnino reliquiis eloquar? . . .

(Continuatur.)

Eine Neugründung des Benedictinerordens in Oregon, Amerika.

Engelberg (Roy), Marion Co. 8. Dec. 1883.

Glauben Sie ja nicht!, Hochw. Herr Redacteur, es sei nur Gleichgiltigkeit und Nachlässigkeit, wenn ich mein Versprechen trotz wiederholter Mahnungen noch nicht eingelöst. Gewiss wissen Sie die Schwierigkeiten, mit denen eine Neugründung zu kämpfen hat, zu würdigen und ebenso werden Sie auch wohl begreifen, wie es mit der Musse bei denen beschaffen sein muss, die unter all' den Schwierigkeiten die Neugründung durchkämpfen müssen. Es war mir absolut unmöglich, den Bericht früher fertig zu bringen, wenn schon ich immerfort jeden freien Augenblick für die Abfassung desselben benützte; und auch jetzt noch dürfen Sie nur auf etwas Mageres, Unvollständiges rechnen. Hoffe aber später das Versäumte nachzuholen und den ausführlichen Bericht über Land und Leute nachsenden zu können.

Was uns vor Allem hieher nach Oregon und nicht nach andern Theilen Nordamerikas führte, das war in erster Linie das Klima und die Beschaffenheit des Bodens; dann aber auch der Umstand, dass an der ganzen, grossen und so gesegneten Küste des stillen Oceans sich noch keine Niederlassung unseres

¹⁾ Das Messer, welches der göttliche Heiland beim letzten Abendmahle in seinen hl. Händen trug und gebrauchte, wie auch der Schleier und der Kamm der allerseligsten Jungfrau, waren zu aller Zeit Gegenstand hoher Verehrung in der Kirche zu St. Maximin. Das Messer, vom welchem schon Erwähnung geschieht in der vita setae Helenae von Alemannus im 9. Jahrh., ist seit 1802 in der Pfarrkirche zu Pfalzel bei Trier; Schleier und Kamm sind in Privathänden. Auch das Haupt des hl. Maximinus wird in der Pfarrkirche zu Pfalzel aufbewahrt und verehrt.